



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Liber VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

non modo profitetur, sed comprobatur etiã quod sit Christus benedictus ille, benedicti dei filius. Qua professione isti irritati magis quam instructi, lapidibus Iesum ceu blasphemum obruere uolunt. Hic uero amice cum illis exostulans ostendit se reuera esse dei filiũ, neq; in maiestatem patris peccasse quicquã. Verũ cum apud crassos inflexibiles & cecos aduersarios nullæ ualerent rationes, denuo relictis illis & transmissis Iordane, redijt ad eum locum ubi Ioannes primum cœperat baptizare. Reperit ibi oues obsequentes non paucas. Nam multũ illic crediderant in Iesum.

## LIBER VI.

**H**ACTENVS magna & diuina audiuius, Lazarire-  
suscitatio.  
sequuntur porro maiora propemodũ ac diuinitate, ante omnia resuscitatio per Christum Lazari iam quatuor diebus in sepulchro positi & foetentis. Appetebat ultima Christi domini dies, quo se pro salute hominum deo patri in odorem bonæ fragrantie offerret. At quo Cap. 11. propius ad mortem peruenitur, hoc illustrius depromit se uis & fructus mortis dominicæ. Certè sexto hoc ultimo signo siue miraculo suo demonstrat dominus manifestissime se uitam esse totius mundi, qui quanquam in cruce moriatur, credentiũ tamen animas in morte seruare, et mortuos excitare possit. Hoc autem cum carnis

ac rationi humane difficile sit creditu, tractatur historia hac & copiose et exacte, adde & euidenter, ut ipse coram omnia inspicere putes. Informatur interim in Martha & Maria fides nostra, qualis esse debeat. Vniuersa autem historia confirmantur animi sanctorum contra metum mortis, mitigatur, adeoque tollitur scandalum crucis, & indicatur causa odij & inuidie sacerdotum sue senatorum populi Israelitici, qua excæcati de occidendo Christo consultant. Consultatio ea paucis sed euidentibus perstringitur.

Cap. 12.  
Conuiuium  
Bethanien.

Huc iam pertinet conuiuium in Bethania celebratum, cuius descriptione causa ostenditur qua impulsus Iudas sacerdotibus Iesum uendere atque prodere statuit. Per cætera prosequitur Ioannes reliqua quibus gloria & uirtus Christi subinde clarius atque clarius emicuit atque illuxit populo Israelitico: in primis quod urbem regia ingressus pompa, declarauit se illum esse regem et liberatorem populi dei, quem propheta futurum prædixerunt. Dolebat id phariseis, qui magnitudine potentia & euidentia rerum Christi adobruti de rebus suis desperare coguntur. Adhæc accedit illud quoque quod Græci siue gentiles Hierosolymam Iesu uidendi salutandique gratia ex remotissimis oris ueniunt. Quæ ex re occasionem accipit dominus dicendi de morte sua, de fructu eiusdem, & consequente mortem mox insigni longe

longe maxima gloria. Orat item ut pater illustret gloriam suam. Fit oraculum coelitus ad preces domini respondens. Dominus inde rursus clarissime docet quis ex morte ipsius ad fideles rediturus sit fructus. Cum autem ex his quaestione moueret turba, de aeternitate Messiae, hic ad fidem adhortatur, Iudaei nihilominus in incredulitate pergunt, id quod Ioannes Isaiam praedixisse demonstrat. Caterum ad confirmandos infirmos in fide, uehementissimum habet sermonem dominus, quo etiam suae doctrinae, hactenus publice propositae, epilogum contextit.

## LIBER VII.

**S**ANCTVS Ioannes ea hucusque tradidit quae priuatim & publice dominus ante passionem suam dixit & fecit inter suos familiares & coram tota plebe tam disputando quam concionando, plenissimam euangelij doctrinam & asserens & tradens ecclesiae: per consequentia uero describit secreta & mystica quaedam tam dicta quam facta domini quae in ultima & arcana illa Coena sua coram discipulis perorauit atque peregit. Ardenti hic & diuino quodam fulgore rutilant omnia. Proponuntur enim hic & explicantur omnia fidei nostrae ac regni dei mysteria, lautissimumque animae & spiritus epulum liberalissime ab ipso dei filio ecclesiae instruis

*Mysteria  
domini maxima in  
Coena explicantur.*